

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Thomæ A Kempis Canonici Regvlaris Ord. S. Avgvstini De  
Imitatione Christi Libri Qvatvor**

**Thomas <von Kempen>**

**Antverpiæ, 1617**

Cap. XV. Quòd gratia deuotionis, humilitate, & suiipsius abnegatione,  
acquiritur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45760](#)

3 Potens est autem misericordia tua,  
etiam gratiam desideratam mihi præ-  
stare, & in spiritu ardoris, cùm dies  
beneplaciti tui venerit, me clementif-  
simè visitare. Etenim licet tanto desi-  
derio tam specialium deuotorum tuo-  
rum non ardeo, tamen de gratia tua,  
illius magni inflammati desiderij, de-  
siderium habeo, orans & desiderans,  
omnium talium feruidorum amato-  
rum tuorum, participem me fieri, ac  
eorum sancto consortio annuimerari.

## CAP. X V.

*Quod gratia deuotionis, humilitate  
& sui ipsius abnegatione, acquiritur.*

## VOX DILECTI.

**O**PORTET te deuotionis gratiam  
instanter querere, desideran-  
ter petere, patienter & fiducialiter ex-  
spectare, grataanter recipere, humi-  
liter conseruare, studiosè cum ea ope-  
rari ac Deo terminum & modum su-  
pernæ visitationis, donec veniat, com-  
mittere. Humiliare præcipue te de-  
bes, cùm parum aut nihil deuotionis  
interius sentis; sed non nimium de-

N 7 iici,

iici, nec inordinatè contristari. Dat sæ-  
pè Deus in vno breui momento, quod  
longo negauit tempore. Dat quando-  
que in fine, quod in principio oratio-  
nis distulit dare.

2 Si semper citò gratia daretur, &  
pro voto adesset, non esset infirmo ho-  
mini benè portabile. Propterea in bo-  
na spe, & humili patientia, exspectan-  
da est deuotionis gratia. Tibi tamen,  
& peccatis tuis imputa, cùm non da-  
tur, vel etiam occultè tollitur. Modi-  
cum quandoque est, quod gratiam  
impedit & abscondit, si tamen mo-  
dicum, & non potius grande dici de-  
beat, quod tantum bonum prohibet.  
Et si hoc ipsum modicum vel grande  
amoueris, & perfectè viceris, erit quod  
petisti.

3 Statim namque, vt te Deo ex toto  
corde tradideris, nec hoc vel illud, pro  
tuo libitu seu velle quæsieris, sed inte-  
grè te in ipso posueris, vnitum te in-  
uenies, & pacatum; quia nil ita benè  
sapiet & placebit, sicut beneplacitum  
diuinæ voluntatis. Quisquis ergo in-  
tentionem suam, simplici corde sur-  
sum ad Dñm leuauerit, seque ab om-  
ni

ni inordinato amore , seu displicantia cuiuslibet rei creatæ , euacuauerit , aptissimus gratię percipiēdē , ac dignus deuotionis munere erit . Dat enim Dominus ibi benedictionem suam , vbi vasa vacua inuenerit . Et quantò perfectius infimis quis renuntiat , & magis sibi ipsi per contemptum sui moritur , tantò gratia celerius venit , copiosius intrat , & altius liberum cor eleuat .

¶ 4 Tunc videbit , & affluet , & mirabitur , & dilatabitur cor eius in ipso , quia manus Domini cum eo , & ipse se posuit totaliter in manu eius usque in sæculum . Ecce sic benedicetur homo , qui querit Deum in toto corde suo , nec in vanum accipit animā suam . Hic in accipiendo sacram Eucharistiam magnam promeretur diuinæ unionis gratiam , quia non respicit ad propriam deuotionem & consolacionem , sed super omnem deuotionem , & consolationem , ad Dei gloriam & honorem .

C A P.